

B. 51.





IO. SAMVELIS STRYKII  
ICT.  
**PROGRAMMA**

QVO

*Lectiones suas tam publicas quam  
privatas*

Cupidæ legum iuventuti in-  
dicat.

---

Typis Iohannis Gruneri, Acad. Typogr.



# IO. SAMVEL STRYKIVS

ICt.

ILLVSTRISSIMIS, ILLVSTRIBVS, GENEROSISSI-  
MIS, NOBILISSIMISQVE THEMIDOS STVDIOSIS

SALVTEM!

**C**onstanti hactenus consuetudine, in hac Vniuer-  
sitate introductum esse, vt imminente ætate,  
& renascentibus fructibus, etiam labores nostri  
renascantur, & noua intimentur Collegia, neminem  
Vestrum latere potest. Eius ergo rationem securu, ne-  
cessum esse iudicaui, scopum meum, quem mihi propo-  
sui, publice omnibus notum facere. Scilicet, constat  
ex Programmate ante semestre spatium edito, animum  
mihi esse, ad exemplum B. Parentis mei, omnes iuris  
partes ordine peragere, ita vt intra biennii spatium,  
totum stadium percurrere liceat, solidaque iurispru-  
dentia capere fundamenta. Hunc in finem hoc se-  
mestri hyberno publice fundamenta iuris naturæ ad du-  
ctum illustri PVFENDORFII in libello *de Officio ho-  
minis & ciuis* exposui, cum ex ipsis iuris naturæ princi-  
piis ius nostrum descendat, & sine eius cognitione, vix  
solidi quidpiam in iurisprudencia hauriri possit. Ad  
maiores vero Auditorum vtilitatem addidi singulis ca-  
pitibus officium Christiani, ad ductum scripturæ sacræ.  
Priuatim, prima iuris nostri ciuili fundamenta tradidi  
& explicauit, Duce celeberrimo HOPPIO in *Examine  
suo Institutionum Imperialium*: maioris vero vtilitatis causa,  
speciali hora, cum quibusdam selectoribus ingeniis illu-  
stribus, additum est *collegium examinatorium*, vt vocari  
solet, priuatissimum. His diuina gratia adiuuante, ab-  
solutis, nunc ordinis, quem mihi proposui, ratio exigit  
vt



vt ulterius progrediar, atque ad ipsas Pandectas, seu Digesta, vastum illum oceanum pernauigandum, me accingam. Verum hic dubius diu ancepsque hæsi, quem mihi ducem eligerem. Inclinat quidem animus ad compendium Lauterbachianum, utpote qui autor paucis verbis magnam farraginem rerū comprehendit. At enim vero considerans paucos forte adhuc esse iis fundamentis instructos, vt cum fructu eiusmodi collegio interesse possint, pauciores etiam, qui eam, quæ in hoc opere requiritur, diligentiam adhibebunt, paucissimi vero qui debita patientia & assiduitate ad finem vsque permansuri sint, hinc, mutato consilio, talem Autorem eligendum esse existimaui, qui breuiorem viam monstraret ad scopum debitum perueniendi. Oblitit se autem animo meo *Compendium Digestorum STRVVIANVM*, quod nuper admodum a celeberrimi Autoris filio eruditissimo editum est. Variæ statim animo meo obuersabantur rationes, quæ suadebant, vt hunc eligerem Autorem. Nam & nomen Autoris celeberrimum & doctrinæ eius ab omnibus Ictis communiter approbata est; Stylus non obscurus & affectatus, sed perspicuus, ipsumque Autoris Syntagma opus completum & perfectum. Hoc vero cum in collegiis tractare nimis prolixum foret, summo cum iudicio compendium inde fecit, dignissimus tanti patris filius, atque, positis tantum primis fundamentis, in iis quæ ulteriorem declarationem & discussionem merentur, lectiorem ad ipsum Syntagma remittit. Ut adeo, qui Syntagmate, tanquam commentario vti vult, duplicem inde fructum percipere possit. Imo si quis hoc Autorem instar locorum communium vti veller, comparare sibi potest PETRI MVLLERI *plenissimum commentarium in illud Syntagma* vbi consensum aliorum scriptorum magno numero adducit. Accedit autem quædam specialis adhuc ratio, cur hoc compendium Digestorum præ ceteris elegerim, quod scilicet, illud suasu & consilio Beati Pat-

ren



rentis mei fuerit conscriptum, vti in ipsa præfatione confessus est clarissimus compilator. Considerauit enim beatus Vir quantum hoc vtilitatem cupidæ legum iuuentuti ad faci-  
tanda studia collaturum sit; qui si vixisset idem sine dubio in Collegiis interpretaturus fuisset.

Hoc itaque duce, hac ætate, exponam Digesta & quidem priuato Collegio, horis duabus consuetis, ab hora scilicet VII ad IX ante, & ab hora II ad III. post meridiem. Ipsum vero auspiciū fiet, volente Deo, die XIII. Aprilis. Additurus etiam, si quibusdam placuerit, examinatorium priuatissimum, separata hōra.

Cum vero hic Autor, non in terminis mere theoreticis subsistat, sed in quauis materia mox ipsum vsum & praxin statim coniungat, hinc nihil conuenientius esse existimaui, quam vt publicis lectionibus *Processum* & quidem *Ciuilem* exponam, vt statim Auditores discant ius ad factum applicare. Sequar autem hic *introductionem* B. Parentis ad *Processum Ciuilem*; cui labori, hōra destinata est IX. tribus in hebdomade diebus posterioribus. Inchoabitur autem illud die XVI. April. Quod si vero nonnulli ea, quæ publice exponuntur, etiam in praxin deducere priuatim velint, atque exercitia practica instituere, certa que themata ac si in iudicio versarentur, proprio Marte pertractare, iam iudicis, iam partium vices agere, illorum desiderio pariter quam lubentissime assurgam.

Videtis ergo, præstantissimi, optimæque spei iuuenes, huc omnia mea studia omnesque conatus tendere, vt vestra promoueatur vtilitas, vt proxima vobis via ostendatur vastum opus iurisprudentiæ tuto peragendi, portumque exoptatum, relictis omnibus ambagibus, breuissimo temporis spatio recta via contingendi. Cum vero secundo vento opus sit, necessum est, mecum diuinum implorare Numen, vt Vos diuino spiritu suo afflet, quo verum scopum, qui vnicuique esse debet, vt digni reddamini diuini Nominis gloriam, in vera ac intemerata iustitiæ administratione, promouendi, feliciter obtineatis. Dabam Dom. Palmarum, A. R. S. MDCCXI.









Af 364<sup>a</sup>

(1)

ULB Halle

001 602 721

3




561


21 15











IO. SAMVELIS STRYKII  
ICT.  
**PROGRAMMA**

QVO  
*Lectiones suas tam publicas quam  
privatas*

Cupidæ legum iuuentuti in-  
dicat.

---

Typis Iohannis Gruneri, Acad. Typogr.